

(43)

DISPUTATIO XXIX.

De materia & forma pœnitentia.

Supposito, quod hoc Sacramentum, ad instar reliquorum, habeat aliquid per modum determinabilis quod sit materia, & aliquid per modum determinativi, quod sit forma, nunc de qualibet parte sigillatum agendum est.

Q U A E S T I O I.

Quæ sit materia pœnitentia.

Materia à Philosophis dividitur in materiam, circa quam res aliqua versatur, & materialm, ex quâ res aliqua componitur vel constituitur, posteriorem diximus in Sacramento pœnitentiae esse actus pœnitentis, de priori.

DICO: *Ad deletionem peccati mortalis hoc Sacramentum est principaliter institutum, de peccatis autem venialibus est quidem pœnitentia proprie, in quantum sunt nostrâ voluntate facta, non tamen contra hec principaliter hoc Sacramentum est institutum.* S. Th. hic Q. 84. a. 2. ad 3. Sive materia circa quam versatur Sacramentum pœnitentiae nempe confessio dolorosa & absolutio, vel ut alii loquuntur, materia remota pœnitentiae sunt peccata post Baptismum commissa & quidem materia necessaria sunt peccata mortalia clavibus nondum subjecta, materia vero sufficiens & libera peccata venialia & mortalia aliquando clavibus legitimè subjecta.

Ima Pars probatur: Actus pœnitentis: dolor, confessio, satisfactio, uti etiam actus absolvensis: nempe absolutio, sunt de peccatis, illud autem est vel originale vel personale, si personale vel est commissum ante Baptismum vel post illum, sed de peccato originali quod alienâ voluntate nempe Adami capit is, in quo omnium nostrum voluntas erat inclusa, est commissum, non datur dolor, confessio, absolutio; nec de personali

Sonali ante Baptismum commisso datur absolutio: hæc enim est sententia judicialis ab habente jurisdictionem à Christo & Ecclesia in reum subjectum prolatæ; sed peccata ante Baptismum commissa non sunt ita hominis subditi Ecclesiæ, cum per Baptismum prius detur ingressus in Ecclesiam; ergo absolutio non potest cadere super peccata ante Baptismum commissa, & consequenter sola peccata personalia hominis Baptizati sunt materia, circa quam tam actus pœnitentis quam absolvantis versantur.

2da pars: quod peccata mortalia nunquam confessa sunt materia necessaria probatur: materia necessaria sunt illa peccata, quæ extræ hoc Sacramentum in re vel voto suscepimus remitti nequeunt; sed peccata mortalia post Baptismum commissa nequeunt remitti sine Sacramento Pœnitentiæ vel in re vel in voto suscepto.

3ta pars de materia sufficiente probatur: materia sufficiens est, quæ si subjiciatur clavibus, sufficit ad validum Sacramentum, illa verò materia est libera, quam nullo præcepto jubemur subjicere clavibus, sed extræ Sacramentum aliis mediis deleri potest; sed peccata mortalia semel confessa, item venialia si subjiciantur clavibus est validum Sacramentum, de iis enim verè possumus dolere, confiteri & absolvi, nullum etiam exstat præceptum illa confitendi, dantur enim plura media pro peccatis venialibus & restante pœna pro peccatis mortalibus jam rite confessis, ergo sunt materia libera.

Obj. I. Pro novo Sacramento requiritur nova materia, sicut pro novo Sacramento Eucharistie requiritur nova hostia, sed peccata confessa & per Pœnitentiam remissa non sunt nova materia; ergo.

R. Pro novo Sacramento requiritur nova materia proxima Con. remota N. variatâ enim materia proximâ

proximâ potest in Sacramentis eadem materia remota adhiberi, sicut enim eâdem aquâ diversâ tamen ablutione possunt plures diverso tempore baptizari, itâ iisdem peccatis; distinctis contritionibus & confessionibus, potest quis absolvî. Quoad Sacramentum Eucharistiae non est paritas: quia quâlibet consecratione peractâ, ita desinit Hostia consecrata, ut de eâ forma consecrationis verificari non possit, sicut in iisdem peccatis denuò clavibus subjectis forma absolutionis, & in eadem aqua denuò ablutioni adhibitâ forma Baptismi verificari potest.

Obj. 2. Peccata, à quibus jam quis est absolutus, non possunt iteratò subjici sententiæ, sicut in judicio & tribunali homo reus semel absolutus non potest sine novâ superveniente causâ coram tribunali iteratò comparere ad secundò accipiendam absolutionem.

R. Licet de eâdem causâ in foro contentioso non feratur Judicium secundo, quia Judicia politica ad liberandos innocentes, puniendos reos & finiendas lites ordinantur, in foro tamen interno sententia Sacerdotum, quæ ordinatur ad interiorem sanitatem, iterari potest, sensus enim sententiæ Sacerdotis est (de quo intrâ) confero tibi gratiam quantum est de le remissivam tuorum peccatorum.

Q U A E S T I O II.

An peccata dubia sint materia necessaria & sufficiens?

Suppono: peccata possunt esse dubia ratione dubii facti & dubii Juris. Priore modo peccatum est dubium, quando propter rationes oppositas suspenditur Judicium, an aliquid sit commissum vel omissum, de quo certum est, quod si contigerit, sit peccatum mortale; posteriore modo peccatum est dubium, quando similiter suspenditur Judicium

de

de ipsa gravitate vel levitate commissione vel omissionis, aut an sit peccatum illud, quod factum est, necne, hoc supposito.

DICO Quando aliquis dubitat de aliquo peccato: an sit mortale, teneatur illud confiteri dubitatione manente. S. Th. in supplem. Q. 5. A. 4. ad 3.

Explicatur & probatur: quandocunque est dubium juris vel facti de peccato mortali, illud dubium est subjiciendum clavibus cum hac differentia, ut dubium facti se solo non sit materia sufficiens, quia non est materia certa, qualis ad omne Sacramentum requiritur; si nempe dubitetur, an aliquid sit verè peccatum, vel an aliquid, quod certè est peccatum, sit verè commissum. In dubio autem Juris, si dubitetur de peccato verè commisso, an sit mortale vel veniale, tunc est materia Sacramenti sufficiens, quia supponitur verum peccatum, & tantum dubitatur de ejus gravitate; talis tamen homo habens peccatum mortale dubium, in utroque dubio de gravitate peccati tenetur illud confiteri, ut sic sibi provideat de remedio & medicina opportunitate infirmitati, quâ forte laborat, at tamen in dubio facti non est materia hujus Sacramenti ita sufficiens, ut Confessarius illum possit absolvere à solo illo peccato dubio absolvere, sed si manente dubio censeat dandam esse absolutionem, hanc debet dare sub expressâ vel tacitâ conditione, nisi pœnitens præter peccatum dubium fuerit confessus aliud certum saltem veniale, tunc Confessarius poterit absolvere, undè tali pœnitenti consilendum est, ut præter peccata tantum dubia aliquod certum saltem veniale confiteatur. Ratio, cur talia peccata dubia teneatur confiteri, est: tum quia talis ageret cum conscientia practicè dubia, quod est peccatum: tum quod se certo exponeret periculo

zter-

gternæ damnationis, in tantum enim est periculum, in quantum est dubia damnatio, sed est certè dubia damnatio; ergo est certum damnationis periculum: tum quia dubitans de morbo lethali corporis non vocando medicum, à quo certò esset obtenturus sanitatem, imprudenter agit, ergo etiam dubitans de morbo lethali animæ, vel dubitans, an sit morbus lethalis animæ, non recurrendo ad medicinam à Christo contrà talem morbum institutam incurius est suæ salutis.

Obj. 1. Tantum tenemur confiteri peccata, quæ scimus, sed dubia peccata non scimus. *2.* In Judicio forensi nemo damnatur ob peccatum dubium, nec imponitur pœna certa ob culpam dubiam. *3.* Materia necessaria confessionis se sola meretur absolutionem; sed hoc non est in dubio peccato. *4.* Forum Pœnitentiae debet proportionari foro exteriori in quo valent hæ regulæ: præsumitur ignorantia, quando non probatur scientia. Favendum est reo, quando partium jura sunt obscura. In obscuris, quod minimum est, sequimur. *5.* Nequit esse certior obligatio confitendi peccatum, quam sit admissio peccati, fundatur enim obligatio confitendi in admissione peccati. Denique sa' tem scrupulosis non est imponenda obligatio confitendi peccata dubia.

R. Ad 1um. peccata dubia non scimus certè & perfectè sed tantum imperfectè. Undè non debet illa in confessione exponere tanquam certò admissa vel tanquam indubitanter mortalia, sed dubitativè, qualiter sunt in ipsius conscientia.

Ad 2dum. disparitas est: quia in Judicio Pœnitentiae Judex simul est medicus, qui discernere debet lepram à lepra, & morbis, non tantum certò, sed etiam dubiè lethiferis mederi,

Ad

Ad 3tum. quod peccatum dubium dubio facti quidem te solo non sit sufficiens materia, sit tamen materia necessaria, non per se & ratione sui, sed per accidens & ratione periculi extrinseci certi.

Ad 4um, pro foro Pœnitentiae hæc sola regula valet: in dubiis tutior pars est eligenda: disparitas inter forum in- & externum est, quia in foro externo minus est malum notentem tolerare, quam innocentem damnare, ideoque reo quamvis nocenti, dummodo talis non probetur, oportet favere, sed in foro interno confessio dubii delicti est minus malum, quam Jactura animæ cuius periculum imminet. In foro externo agitur de puniendo & condemnando reo, in foro interno de eodem absolvendo & liberando.

Ad 5tum. obligatio confitendi hic non fundatur in certitudine admissionis, sed in certitudine periculi imminentis, aut in certitudine: quod peccatum dubiè versetur in notitia pœnitentis.

Ad 6tum. admittitur totum: quia peccata tantum positivè dubia sunt propriè dubia & materia necessaria confessionis, scrupuli autem habent peccata tantum negativè dubia, & ex nullis vel tantum levibus motivis rūment, & horum confessio illis utiliter dissuadetur.

Q U Ä S T I O III.

Quanam est forma hujus Sacramenti?

Licit Ecclesia præscribat quasdam orationes tam ante quam post absolutionem ab absolvente recitandas, ipsa tamen forma consistit in his: *Ego te absolvo à peccatis tuis in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti*, circa quam formam controvertitur immo quæ verba præcisè sint de essentia Sacramenti, ita ut illis omissis redderetur Sacramentum invalidum.

2do. quam significationem hæc forma habeat, ut
verificari possit de peccatis jam antè confessionem
remissis vel per contritionem vel per aliam confessio-
nem.

DICO 1. *Hæc est convenientissima forma hujus
Sacramenti: Ego te absolvo S. Th. hic Q. 84. A. 3. in
O. sumitur ex Concil. tam Florentino quam Trid.
Sess. 14. cap. 3. utrumque enim dicit formam Sacra-
menti Pœnitentiae consistere in illis verbis Sacerdo-
tis: absolvo te.*

*Ratio fundamentalis est: quia forma hujus Sacra-
menti consistere debet in illis verbis, quibus suffi-
cienter significatur persona Judicis, actus judicialis,
effectus & persona rei; sed hæc omnia sufficienter
significantur his verbis: ego te absolvo, vel absolu-
to te, nam primò persona Judicis significatur expli-
citè per pronomen *Ego* vel implicitè per ver-
bum indicativum: *absolvo*. 2do. actus judicialis &
illius effectus nempè solutio à peccatis significatur
per ipsum verbum activum: *absolvo*. 3to. quia id,
quod profertur super confessione peccatorum hic &
nunc facta, sufficienter determinatur ad significan-
dam animæ solutionem non ab alio vinculo quam à
peccatis hic & nunc confessis. 4to. persona rei vel
pœnitentis significatur explicitè per pronomen
Te quod omne spectat ad essentiam formæ; re-
liquæ verò particulæ non sunt de essentia, nam im-
primis ad essentiam non pertinet: à peccatis tuis; quia
circumstantia personæ hic & nunc confitentis pec-
cata sua satis determinat & significat absolutionem
Sacerdotis cadere super peccata illius, licet id non
exprimat, licet particulæ illæ ex necessitate præcepti
sempre exprimi debeant; Deinde explicita invoca-
tio SS. Trinitatis non est de essentia Sacramenti Po-
nitentiae, sicut est de essentia Baptismi; quia cum*

III. Partis Theol. Schol. suppl. D Bap-

50 DISPUTATIO XXIX.

Baptismus sit Janua Ecclesiæ & solemnis professio fidei principaliter versantis circà altissimum Mysterium Trinitatis, congruum erat, ut in forma Baptismi hoc Mysterium exprimeret, in Sacramento autem Pœnitentiæ non sit professio fidei sed supponitur professio facta.

Obj. 1. Con Trid. Sess. 14. de pœnit. cap. 3, illis verbis : *ego te absolvo* addit &c. ergo significare voluit etiam reliqua ab Ecclesia apponi solita esse essentialia formæ.

Ré. Negando conseq. ideo enim Patres Con. Trid. illud &c. addiderunt, ut ostenderent, non esse alia omittenda, etiam ut à scholastica controversia præscinderent, cæterum, si judicassent illa : à peccatis tuis potius esse essentialia, quam expressionem SS. Trinitatis, facillimè illa potuissent adjungere sicut in aliis Sacramentis omnia essentialia formæ expresserunt.

Obj. 2. Verba hæc : *absolvo te* sunt indifferentia ad significandam absolutionem à censuris vel à peccatis, ergo ut determinentur ad significandam potius absolutionem à peccatis, quam à censuris, essentialiter requiruntur hæc verba : à peccatis. Deinde alias bis absolveretur pœnitens : semel per verba : *absolvo te* ; antecedentia, quibus subne^ctitur : *ab omni vinculo excommunicationis* &c. Deinde etiam per verba posteriora.

Ré. Distinguendo Antecedens : verba : *absolvo te* : *absolutè* & *secundum se* sunt indifferentia ad significandam absolutionem à censuris vel à peccatis Con. in circumstantia, quâ proferuntur super peccatis clavibus subjectis N. ad id quod additur : dicendum, quod licet verba illa materialiter bis proferantur, attamen formaliter non iterantur, prout substant intentioni proferentis, qui in prima prolatione

De MATERIA & FORMA POENITENTIAE. 51
latione intendit effectum absolutionis à censuris,
ut pœnitens licet sacramentum suscipiat, ac ita sit
capax absolutionis à peccatis, in secundâ verò pro-
nuntiatione profert ea in ordine ad effectum absolu-
tionis à peccatis.

DICO 2. *Esset perfectior expositio: Ego te absolvo,*
id est sacramentum absolucionis tibi impendo S. Th. hic
Q. 84. A. 3. ad 5.

Probatur: per formam cujuscunque sacramenti
debet significari specificus effectus illius sacramenti,
specificus autem effectus cujuscunque sacramenti
est eadem gratia quatenus ex institutione Christi est
determinata ad certum finem, & quidem in sacra-
mento pœnitentiae gratia est determinata ad ablo-
lutionem sive ad remissionem peccatorum post Bap-
tismum commissorum; ergo sensus absolucionis est:
conferti gratiam per se & ex fine specifico remissivam
peccatorum post Baptismum commissorum, sive
quantum est ex parte Sacerdotis impendi sacramen-
tum absolucionis; ac ita significatur remissio vel re-
conciliatio, non actualis quæ non est semper in sus-
ceptione sacramenti hujus, neimpè dum pœnitens
ante sacramentum est justificatus, sed remissio ra-
dicalis nempe contenta in virtute gratiæ sanctifican-
tis ad hunc finem specialiter ordinata.

Obj. 1. Ex his sequitur: formam absolucionis
de illo verificari, qui assert tantum peccata dubia:
quia de illis verificari potest produc̄tio gratiæ ex se
remissivæ peccatorum, licet per accidens & ex hy-
pothesi, quod illa dubia peccata reverā non sint com-
missa, nulla peccata remittantur.

2. Quod juxta dicta materia Pœnitentiae debeat
esse absoluta & certa, ut sit capax formæ absolu-
tionis gratiam absolute remissivam significantis, in quo
deficit peccatorum tantum dubiorum confessio.

D 2.

Obj.

Obj. 2. Sacerdotes novæ legis ità procedunt in remissione peccatorum proferendo formam absolutionis, sicut procedebant Sacerdotes veteris legis in inundatione à leprâ, at qui sacerdotes illi tanqû declarabant esse mundos vel immundos, ergo & novæ legis Sacerdos dicendo: *Ego te absolvô*: tantum declarat absolutum; accedit quod nemo possit dimittere peccata nisi solus Deus. Demum quod in ipsâ sacrâ Scripturâ, aliquando remitti peccata significat declarationem remissionis, sicut quando Christus Luc. 7. postquam dixisset v. 47. *remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum* v. 48. dixit Magdalena: *remittuntur tibi peccata*; id est declaro tibi jam prius esse remissa peccata.

R. ad 1. Sicut lex nova multò est perfectior legi veteri, ità & major est data potestas Sacerdotibus novæ legis, ut judiciali sententiâ verè conferant gratiam de se remissivam peccatorum.

Ad 2dum. Licet solus Deus principaliter & per authoritatem peccata dimittat, id tamen præstat ministerio Sacerdotum.

Ad 3tium. Velilla posteriora verba confirmant remissionem prius factam, vel priora promittebant remissionem mox secuturam: Deinde licet ibi verbum: *remittuntur* non significet actualem remissionem, attamen Matth. 9. ubi Christus Paralyticō dicit *remittuntur tibi peccata tua* significat actualem collationem gratiæ remissivæ.

QUÆSTIO IV.

Quæ mutatio formam irritet?

DI CO In Sacramentali absolutione non sufficeret dicere: *misereatur tui omnipotens Deus*, vel *absolutionem* & *remissionem* tribuat tibi Deus, quia per hac verba Sacerdos absolutionem non significat fieri sed petit ut fiat.

S. Th. hic Q. 84. A. 8. ad 1. sive talis mutatio formam irritat, si non significetur actus judicialis absolutionis.

Conclusio patet ex dictis de Sacramentis in genere, juxta quæ forma essentialiter mutatur, & consequenter fit irrita, si non maneat sensus verborum à Christo intentus, sed sensus verborum in Sacramento Pœnitentiæ à Christo intentus, est significatio actus judicialis absolutionis, undè licet verba illa: *absolvo te*: materialiter spectata sint de necessitate præcepti, cum verba illa tam Florent. quam Trid. exprimant, non tamen sunt de necessitate Sacramenti, quia eadem significatio sacramentalis æquè in aliis verbis synonymis & æquipollentibus haberi potest, debent tamen verba absolutionis qualiacunque de necessitate Sacramenti exprimi modo indicativo aut imperativo vel alio, quo sufficienter significatur actus judicialis absolutionis, quod ex ipsis verbis Christi eruitur, quibus Apostolis eorumque successoribus dedit potestatem absolvendi, inquit enim Joas. 20. quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, remittere autem importat actum potestatis judicariæ, undè invalida foret absolutionis modo optativo vel deprecativo, quia hoc Sacramentum exceptur per modum judicii, ut definit Trid. Sess. 14. cap. 6. quo à Sacerdote velut à Judice sententia pronuntiatur authoritativè tanquam propriâ authoritate collatâ ad hoc à Christo, ideoque forma absolutionis essentialiter debet importare sententiam Confessorii per se authoritativè absolvientis, quod non haberetur in forma deprecatoria.

Obj. Græcorum forma deprecativa in Sacramento Pœnitentiæ sustinetur, ut valida in constit. Clem. VIII. relatiâ tom. 3. Bull. ordine 34ta, quæ incipit: *Sanctissimus, In quâ §. 3. in casu necessitatis*

Presbyteri græci Catholici possint latinos absolvere, utantur forma absolutionis in generali concilio Florentino prescripta, & postea si voluerint, dicant orationem illam deprecativam, quam pro forma hujusmodi absolutionis dicere tantum consueverunt, quibus verbis summus Pontifex non reprobat formam deprecativam velut invalidam, sed tantum indicativâ ab Ecclesia in Concilio Florentino præscriptâ uti præcipit, neque in antiquioribus ritualibus editis ante quadringentos annos alterius quā deprecativâ formæ sit mentio. Denique Sancti Patres sæpè afferunt in Sacramento Pœnitentiæ per orationem Sacerdotis remitti peccata; ergo mutatio formæ indicativæ in deprecativam non est essentialis, quæ oblit valet Sacramenti Pœnitentiæ.

¶. Negando assumpt. quod non probatur ex constitutione Clementis VIII. refertur enim tantum quod Græci consueverint orationem deprecativam pro forma dicere, non vero approbatur, quod solâ deprecativâ oratione prolatâ valida sit absolutionis in Sacramento Pœnitentiæ. Non obstat, quod forma indicativa in antiquioribus ritualibus non reperiatur, sufficit enim, quod non exprimatur, solâ deprecatione esse pœnitentes absolvendos, atque ad celanda arcana fidei & Sacramentorum solis Episcopis & Presbyteris formam validæ absolutionis cognitam fuisse, sicut olim plura arcana chartæ non committebantur. Sancti Patres autem orationis in Sacramento Pœnitentiæ meminerunt: quia tum ante, tum post formam absolutionis aliquæ preces junguntur, ut propter indispositionem peccatoris effectus Pœnitentiæ non impediatur, & obtentus non ita facilè amittatur. Certe, si alia quam indicativa & judicialis forma valeret, & apud Græcos ad unionem Romanæ Ecclesiæ pertinentes fuisset usita-

ta, ab eâ in Concilio Florentino iidem Græci minimè recessissent, qui rituum suorum, in quibus ab Ecclesiâ latinâ discordabant, fuerunt tenacissimi, neque indifferenter utrumque Concilium Florentinum & Tridentinum in his verbis: *ego te absolvo*: essentiam formæ Sacramenti pœnitentiae constituisset. Neque S. Th. contrarium asserere presumptuosum & temerarium judicasset opusc. 22. de formâ absolutionis Cap. I. ubi ita: patet ex dictis Salvatoris, quod habens claves absolvit: presumptuosum est ergo, ne dicam erroneum, ut Sacerdos dicere non possit: *ego absolvote, quem Dominus absolvere confiteretur*: magis autem verbis Domini colligitur, hanc esse formam debitam absolvendi: *ego te absolvo*. Ad historicas omnino incertas relationes præter authoritatem Concil. Florent. & Trident. utendum est ejusdem S. D. opusc. cit. Cap. 2. verbis: *Nunquid eorum opinio præjudicare poterit verbis Domini dicentis Petro: quodcunque solveris &c.* Et opponit Parisiensium Theologorum contrarium sententium, quod formâ deprecativâ non fiat absolutio, doctrinam aliis, qui pro forma deprecativa referuntur, ad cuius imitationem opponitur incertis pro formâ deprecativâ historiis Christi authoritas Joan. 20. dicentis: *quorums remiseritis: non: quorum petieritis remitti &c.*

DISPUTATIO XXX.

De remissione peccatorum mortalium.

PRÆCIPUI effectus pœnitentiae numerantur: primus remissio omnium peccatorum mortalium. Secundus remissio venialium. Tertius remissio pœnæ æternæ & temporalis. Quartus reviviscentia meritorum. De primo effectu sit.

